

XIV. « Judica me, Domine, secundum justitiam meam¹. » Hoc est, in causam meam. Non secundum poenam meam, sed, « Secundum justitiam meam, Domine Deus meus, » id est, secundum hoc me judica.

XV. « Et non insultent in me: » inimici mei. « Non dicant » in corde suo: Euge, euge, animæ nostræ²: » id est, Fecimus quod potuimus, occidimus, abstulimus. « Non dicant: » Ostende quia nihil fecerunt. « Non dicant: Absorbuimus » eum. » Unde illi Martyres dicunt: « Nisi quia Dominus » erat in nobis, fortasse vivos absorbuissent nos³. » Quid est, « Absorbuisent nos? » In corpus suum trajecissent nos. Hoc enim absorbes, quod in corpus tuum trajicis. Vult te mundus absorbere: tu absorbe mundum, trajice illum in corpus tuum, macta et manduca. Quod Petro dictum est: » Macta et manduca⁴: » occide in eis quod sunt, fac eos quod tu es. Illi autem contra si tibi persuaserint impietatem, absorberis ab eis. Non quando persequuntur te, ab his absorberis; sed quando tibi persuadent quod sunt. « Nec » dicant: Absorbuimus eum. » Tu absorbe corpus Paganorum. Quare corpus Paganorum? Vult te absorbere, fac illi quod vult tibi facere. Ideo fortasse vitulus ille comminutus in aquam missus, et potum datus est, ut absorberetur ab Israël corpus impiorum⁵. « Erubescant et re » vereantur simul, qui gratulantur malis meis: induantur » confusione et verecundia⁶: » ut nos illos absorbeamus erubescences et confusos. « Qui maligna loquuntur ad » versum me. » Illi erubescant, illi confundantur.

XVI. Quid tu jam caput cum membris? « Exultent et » lætentur qui volunt justitiam meam: » qui hæserint corpori meo. « Et dicant semper: Magnificetur Dominus, » qui volunt pacem servi ejus. Et lingua mea meditabitur

¹ Psal. xxxiv, 24. — ² Ibid. 25. — ³ Id. cxxiii, 1 et 3. — ⁴ Act. x, 13. — ⁵ Exod. xxxii, 20. — ⁶ Psal. xxxiv, 26.

» justitiam tuam, tota die laudem tuam¹. » Et cujus lingua durat meditari tota die laudem Dei? Ecce modo paulo longior sermo factus est, fatigamini. Tota die Deum laudare quis durat? Suggesto remedium, unde tota die laudes Deum, si vis. Quidquid egeris bene age, et laudasti Deum. Quande cantas hymnum, laudas Deum: lingua tua quid agit, nisi laudet et conscientia tua? Cessasti ab hymno cantando, discedis ut reficiaris? noli inebriari, et laudasti Deum. Discedis ut dormias? Noli surgere ad malefaciendum, et laudasti Deum. Negotium agis? Noli fraudem facere, et laudasti Deum. Agrum colis? Noli litem movere, et laudasti Deum. In innocentia operum tuorum præpara te ad laudandum Deum tota die.

ENARRATIO

IN PSALMUM XXXV².

I. INTENDAT Charitas Vestra paululum textum et mysteria Psalmi hujus, et curramus eum, quia in multis locis apertus est: ubi autem obscuritatis necessitas nos immorari coegerit, tolerabitis fructu discendi. « Dixit injustus ut » delinquat in semetipso, non est timor Dei ante oculos » ejus³: » Non unum hominem, sed genus hominum iniquorum dicit, qui sibi adversantur, non intelligendo ut bene vivant; non quia non possunt, sed quia nolunt. Aliud est enim quando quisque conatur aliquid intelligere, et per infirmitatem carnis non potest, sicut dicit quodam loco Scriptura: « Quia corpus quod corrumpitur, aggravat

¹ Psal. xxxiv, 27, 28. — ² Sermo habitus forte die sabbati, ex n. 19. — ³ Psal. xxxv, 2.

» animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa
 » cogitantem¹: » aliud autem quando perniciosius agit
 adversum se ipsum cor humanum, ut quod possit intel-
 ligere, si bona voluntas accederet, non intelligat, non
 quia difficile est, sed quia voluntas adversa est. Hoc
 autem fit dum amant peccata sua, et oderunt præcepta
 Dei. Sermo enim Dei adversarius tuus est, si tu amicus
 sis iniquitatis tuæ; si autem tu adversarius sis iniquitatis
 tuæ, sermo Dei amicus tuus est, et adversarius iniquitatis
 tuæ. Si ergo odisti iniquitatem tuam, jungis te sermoni
 Dei; et eritis duo adversus illam perimendam, tu et sermo
 Dei. Tu enim per te ex viribus tuis nihil potes: adjuvat
 te ille qui tibi sermonem misit, et vincitur iniquitas. Si
 tu illam odisti; et Deus dimisit, et eris liber: si autem
 ipsam diligas; contrarium est tibi intelligere quidquid
 contra illam dicitur. Fac hominem quærere quomodo sit
 æqualis Filius Patri; credit, quærere intelligere, nondum
 potest. Magna enim res est, et vires majores desiderat ut
 possit capi; et est initium fidei quod custodit animam
 donec roboretur. Lacte nutritur ut perveniat ad habitu-
 dinem et firmitatem cibi solidioris; ut possit intelligere:
 « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum,
 » et Deus erat Verbum². » Antequam hoc possit, nutri-
 tur in fide: et conatur intelligere, ut intelligat quantum
 Deus dederit. Numquid et hoc cum conatu intelligit:
 » Quod tibi fieri non vis, alii ne feceris³: » ut quia non
 vis pati iniquitatem, non facias iniquitatem; quia non vis
 pati dolum et insidias, non insidieris alteri? Hoc autem
 cum non vis intelligere, voluntati tuæ tribuitur. Ideo
 « Dixit injustus, ut delinquat in semetipso: » proposuit
 delinquere.

II. Sed numquid qui proponit delinquere, publice hoc

¹ Sap. ix, 15. — ² Joan. i, 1. — ³ Tob. iv, 16.

dicit, et non in semetipso? Quare in semetipso? Quia
 homo illum non videt. Quid ergo, quia homo non videt,
 in ipso corde, ubi sibi dicit ut delinquat, Deus ibi non
 videt? Videt ibi Deus. Sed quid sequitur? « Non est timor
 » Dei ante oculos ejus. » Ante oculos timor hominum est.
 Non audet enim publice profiteri iniquitatem, ne vel re-
 prehendatur, vel damnetur ab hominibus. Discedit autem
 a conspectu hominum: quo? Ad semetipsum: ducit se
 intro, et nemo illum videt: ubi meditatur dolos et insi-
 dias et delicta, nemo videt. Posset nec ibi apud se medi-
 tari, si cogitaret quia Deus illum videt: sed quia non est
 timor Dei ante oculos ejus, cum discesserit a conspectu
 hominum ad cor suum, ibi quem timeat? Numquid non ibi
 est præsens Deus? Sed non est timor Dei in conspectu ejus.

III. Meditatur ergo dolos: et sequitur, (Forte latet il-
 lum, quia Deus ibi videt? Etiam ostenditur quod dicere
 coeperam: latet illum, sed volentem; quia contra se fecit
 nolens intelligere.) « Quoniam dolose egit in conspectu
 » ejus¹. » In cujus conspectu? Cujus timor non est ante
 oculos ejus qui dolose egit. « Ut inveniret iniquitatem
 » suam, et odisset. » Iste sic egit ut non inveniret. Sunt
 enim homines qui quasi conantur quærere iniquitatem
 suam, et timent illam invenire; quia si illam invenerint,
 dicitur illis: Recedite ab illa: hæc fecisti antequam sci-
 res, iniquitatem fecisti cum esses in ignorantia; dat Deus
 veniam, modo cognovisti eam, dimitte illam ut possit fa-
 cile ignorantiae tuæ venia dari, et libera fronte dicas Deo:
 « Delicta juventutis meæ et ignorantiae meæ ne memine-
 » ris². » Hac illam quærere, hac timet ne inveniat illam:
 dolose enim quærere. Non sciebam quia peccatum est,
 quando dicit homo? Cum viderit quia peccatum est, et
 destiterit facere ipsum peccatum, quod ideo faciebat,

¹ Psal. xxxv, 3. — ² Id. xxiv, 7.

quia ignorabat; vere sic voluit nosse iniquitatem, ut inveniret, et odisset. Nunc autem multi dolose agunt, ut inveniant iniquitatem suam, id est, non ex animo agunt invenire et odisse. Sed quia in ipsa inquisitione dolus est, in inventione defensio iniquitatis erit. Cum enim invenerit iniquitatem, ecce jam manifestum est illi, quia iniquitas est. Noli illam facere, inquis. Et ille qui dolose agebat ut inveniret, jam invenit, et non odit. Quid enim dicit? Quam multi hoc faciunt, et quis hoc non facit? Et numquid omnes perditurus est Deus? Aut certe hoc dicit: Si nollet Deus illa fieri, viverent homines qui ista committunt? Vides quia dolose agebas ad inveniendam iniquitatem tuam? Nam si non dolose, sed sinceriter ageres, jam invenisses et odisses: modo invenisti et defendis: dolose ergo agebas, cum quæreres.

IV. « Verba oris ejus iniquitas et dolus, noluit intelligere, ut bene ageret¹. » Videtis quia voluntati illud tribuit: quia sunt homines qui volunt intelligere, et non possunt; sunt autem homines qui nolunt intelligere, ideo non intelligunt. « Noluit intelligere ut bene ageret. »

V. « Iniquitatem meditatus est in cubili suo². » Quid dixit, « In cubili suo? Dixit injustus, ut delinquat in semetipso: » quod dixit superius: « In semetipso, » hoc hic dixit, « In cubili suo. » Cubile nostrum est cor nostrum: ibi tumultum patimur malæ conscientiæ, et ibi requiescimus, quando bona conscientia est. Qui amat cubile cordis sui, aliquid honi ibi agat. Ibi est cubile, ubi nos Dominus Jesus Christus jubet orare: « Intra in cubiculum tuum, et claude ostium tuum. » Quid est, « Claude ostium tuum? » Noli talia expectare de Deo, quæ forinsecus sunt; sed ea quæ intrinsecus sunt. « Et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi³. » Quis

¹ Psal. xxxv, 4. — ² Ibid. 5. — ³ Matth. vi, 6.

est qui non claudit ostium? Qui talia petit a Deo pro magno, et ibi constituit omnes preces suas, ut accipiat ea, quæ sunt hujus sæculi bona. Patet ostium tuum, turba videt cum oras. Quid est claudere ostium tuum? Ut hoc petas a Deo, quod solus Deus novit quomodo tibi det. Quid est hoc propter quod claudis ostium, et petis? « Quod » oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis » ascendit¹. » Et forte non ascendit in ipsum cubile tuum, id est, in cor tuum. Sed Deus novit quid tibi daturus est. Quando autem erit? Quando revelabitur Dominus, quando apparebit iudex. Quid enim manifestius quam quod diciturus est ad dexteram positus? « Venite, benedicti Patris » mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi². » Audient hæc illi qui ad sinistram erunt, et gement infructuosa poenitentia³; quia cum ita viverent, eam fructuose noluerunt agere. Quomodo gement? Quia non est illis locus correctionis. Audient autem et ipsi: « Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis » eis⁴. » Iste est auditus malus. Nam justi ad auditum bonum gaudebunt: sic enim scriptum est: « In memoria » æterna erit justus, ab auditu malo non timebit⁵. » A quo auditu malo? Quem audituri sunt illi: « Ite in ignem » æternum. » Deus ergo qui potest supra quam petimus aut intelligimus facere⁶, occultum gemitum nostrum quærit, ut in conspectu ejus placeamus, et non nos quasi de justitia nostra ante homines jactemus. Qui enim de justitia sua placere vult hominibus, non eo fine, ut homines qui eum vident Deum laudent, sed ea intentione ut ipse laudetur, non claudit ostium contra strepitum: quia patet ostium in illo strepitu, et non audit Deus quomodo audire vult. Cubile ergo cor nostrum laboremus mundare, ubi

¹ Isaï lxxiv, 4, et i Cor. ii, 9. — ² Matth. xxv, 34. — ³ Sap. v, 3. — ⁴ Matth. xxv, 41. — ⁵ Psal. cxi, 7. — ⁶ Ephes. iii, 20.

possit nobis bene esse. Novit Charitas Vestra quam multa multi patiuntur in publico, in foro, in jurgiis, in contentionibus, in molestiis negotiorum: quomodo quisque fatigatus negotiis foris, currit ad domum suam ut ibi requiescat, et dat operam cito finire negotia quæ foris sunt, et tollere se ad requiem in domum suam. Ideo enim unusquisque domum suam habet, quia ibi requiescit. Si vero et ibi molestias patitur, ubi potest requiescere? Quid ergo? Bonum est ut vel in domo sua requiem habeat. Si autem patitur foris inimicos, intus forte malam uxorem; procedit in publicum: cum vult requiescere ab his quæ foris sunt, intrat in domum: quando vero nec ibi requiescit, nec foris requiescit, ubi erit requies? Saltem in cubiculo cordis, ut tollas te ad interiora conscientiæ tuæ. Si ibi invenisti forte conjugem, quæ tibi non faciat amaritudinem, sapientiam Dei; cum ipsa conjungere, quiesce intus in cubiculo tuo, non inde te ejiciat fumus malæ conscientiæ. At ille ut meditaretur dolos, illuc se tollebat, de quo loquitur ista Scriptura, ubi homines non vident; et talia ibi meditabatur, ut nec in ipso corde requiesceret. « Iniquitatem » meditatus est in cubiculo suo. »

« VI. Astitit omni viæ non bonæ¹. » Quid est, « Astitit? » Perseveranter peccavit. Unde et de quodam pio et bono dicitur. « Et in via peccatorum non stetit². » Quomodo ille non stetit, sic iste astitit. « Malitiam autem » non odio habuit. » Ibi est finis, ibi fructus: si non potest non habere malitiam, vel oderit illam. Cum enim odisti illam; vix tibi subrepat ut aliquid mali facias. Est enim peccatum in mortali corpore: sed quid dicit Apostolus? « Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, » ad obediendum desideriis ejus³. » Quando incipit non esse? Quando complebitur in nobis quod ait: « Cum cor-

¹ Psal. xxxv, 5. — ² Id. 1, 1. — ³ Rom. vi, 12.

» ruptibile hoc induerit incorruptionem, et mortale hoc » induerit immortalitatem⁴. » Antequam hoc fiat, est delectatio iniquitatis in corpore; sed major est delectatio voluptatis verbi sapientiæ, præcepti Dei. Vince peccatum et voluntatem ejus. Peccatum et iniquitatem oderis, ut jungas te Deo qui tecum illud oderit. Jam conjunctus mente legi Dei, mente servis legi Dei. Et si carne propterea servis legi peccati², quia sunt in te delectationes quædam carnales: tunc nullæ erunt quando jam non pugnabis. Aliud est non pugnare, et esse in pace vera atque perpetua; aliud pugnare et vincere; aliud pugnare et vinci; aliud nec pugnare, sed trahi. Sunt enim homines prorsus qui non pugnant, qualis est iste de quo loquitur. Cum enim dicit: « Malitiam non odio habuit: » quomodo pugnat contra eam quam non odit? Iste a malitia trahitur, nec pugnat. Sunt autem qui pugnare incipiunt; sed quia de viribus suis præsumunt, ut ostendat illis Deus quia ipse vincit, si se homo subjungit Deo, et pugnantes vincuntur, et cum quasi cœperint tenere justitiam, fiunt superbi, et eliduntur. Isti pugnant, sed vincuntur. Quis est autem qui pugnat, et non vincitur? Qui dicit: « Video aliam » legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. » Vide pugnantem: sed non de viribus suis præsumit iste, ideo victor erit. Quid enim sequitur? « Infelix ego homo, » quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei » per Jesum Christum Dominum nostrum³. » Præsumit de eo qui jussit ut pugnet, et vincit hostem adjutus a jubente. Iste autem « Malitiam non odio habuit. »

VII. « Domine, cælo misericordia tua, et veritas tua » usque ad nubes⁴. » Nescio quam misericordiam ipsius dicit, quæ in cælo est. Est enim misericordia Domini et

¹ 1 Cor. xv, 53. — ² Rom. vii, 25. — ³ Ibid. 23-25. — ⁴ Psal. xxxv, 7.

in terra. Habes scriptum, « Misericordia Domini plena » est terra¹. » De qua ergo misericordia loquitur, cum dicit; « Domine, in cœlo misericordia tua? » Munera Dei partim temporalia sunt atque terrena, partim æterna et cœlestia: qui propter hoc colit Deum, ut terrena ista atque temporalia accipiat, quæ omnibus præsto sunt, quasi adhuc ut pecus est, utitur quidem misericordia Dei, sed non illa quæ excepta est, quæ non dabitur nisi solis justis, sanctis, bonis. Quæ sunt munera quæ omnibus abundant? » Qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit » super justos et injustos². » Quis non habet istam misericordiam Dei, primo ut sit, ut discernatur a pecoribus, ut rationale sit animal, qui possit Deum intelligere, deinde frui ista luce, isto aëre, pluvia, fructibus, diversitate temporum, solatiis terrenis, salute corporis, affectu amicorum, salute domus suæ? Omnia ista bona sunt, et Dei munera sunt. Ne putetis, fratres, quod aliquis illa poterit dare, nisi unus Deus. Quicumque ergo non expectant ista, nisi a Domino, multum interest inter hos et eos qui illa quærunt aut a dæmonibus, aut a sortilegis, aut a mathematicis. Isti enim duobus modis miseri sunt, quia et terrena sola bona desiderant, et non ab eo petunt qui dat omnia bona. Qui vero ista bona desiderant, et in his bonis felices esse volunt, et ista sola petunt a Deo, hoc quidem meliores sunt, quia a Deo petunt, sed adhuc periclitantur. Dicit aliquis: Quare periclitantur? Aliquando enim considerant res humanas, et vident ista omnia bona terrena, quæ desiderant, habere atque abundare impios et iniquos, et putant quia perdididerunt mercedem colendi Deum, quia id quod mali habent, et ipsi habent, cum colant Deum, quem non colunt illi; aut aliquando illi qui

¹ Psal. xxxii, v. — ² Matth. v, 45.

colunt non habent, et illi habent qui blasphemant: ergo in periculo sunt adhuc.

VIII. Hic autem vere intellexit quam misericordiam deprecetur a Deo. « Domine, in cœlo misericordia tua, » et veritas tua usque ad nubes: » id est, misericordia quædam quam donas sanctis tuis, cœlestis est, non terrena; æterna est, temporalis non est. Et quomodo illam potuisti annuntiare hominibus? Quia « Veritas tua usque ad nubes. » Nam quis posset nosse cœlestem misericordiam Dei, nisi annuntiaret Deus hominibus? Quomodo illam annuntiavit? Mittendo veritatem suam usque ad nubes. Quæ sunt nubes? Prædicatores verbi Dei. Unde quodam loco Deus iratus est cuidam vineæ. Intelligit enim, quantum puto, Charitas Vestra, audivit Isaiam prophetam, ubi dicit de quadam vinea: « Expectavi ut faceret uvam, fecit autem » spinas¹. » Et ne quis putaret de vinea ista visibili dicere, sic conclusit: « Vineam Domini Sabaoth, domus » Israël est; et homo Juda, novellum dilectum². » Ergo ipsam vineam increpabat, quam expectavit ut faceret uvam, fecit autem spinas. Et quid ait? Mandabo nubibus » meis ne pluant super eam³. » Iratus Deus hoc dixit: « Man- » dabo nubibus meis, ne pluant super eam⁴: » et vere factum est. Missi sunt enim prædicatores Apostoli. Sic habemus in Actibus Apostolorum, quia apostolus Paulus volebat prædicare Judæis, et invenit ibi non uvam, sed spinas. Cœperunt enim pro bonis mala reddere, et persecui. Et ait, tanquam implens quod dictum est, « Mandabo » nubibus meis ne pluant super eam. Ad vos missi eramus, sed quia respuistis verbum Dei, ecce convertimur » ad Gente. » Ergo impletum est, « Mandabo nubibus » meis ne pluant super eam. » Usque ad nubes veritas venit: ideo nobis potuit nuntiari misericordia Dei quæ in

¹ Isai. v, 4. — ² Ibid. 6. — ³ Ibid. 7. — ⁴ Act. xiii, 46.

cœlo est, et non in terra. Et revera, fratres, nubes sunt prædicatores verbi veritatis. Quando minatur per prædicatores Deus, tonat per nubes. Quando miracula facit per prædicatores Deus, coruscat per nubes, terret per nubes, et irrigat per pluviam. Prædicatores ergo isti, per quos prædicatur Evangelium Dei, nubes Dei sunt. Speremus ergo misericordiam, sed illam quæ in cœlo est.

IX. « Justitia tua sicut montes Dei : judicia tua sicut » abyssus multa¹. » Qui sunt montes Dei? Qui dicti sunt nubes, ipsi sunt et montes Dei : magni prædicatores, montes Dei. Et quomodo quando oritur sol, prius luce montes vestit, et inde lux ad humillima terrarum descendit : sic quando venit Dominus noster Jesus Christus, prius radiavit in altitudinem Apostolorum, prius illustravit montes, et sic descendit lux ejus ad convallem terrarum. Et ideo quodam loco dicit in Psalmo : « Levavi » oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi². » Sed noli putare, quia ipsi montes tibi dabunt auxilium. Accipiunt enim quod dent, non de suo dant. Et si remanseris in montibus, non erit firma spes tua : sed in illo qui illuminat montes spes tua et præsumptio tua debet esse. Auxilium autem veniet tibi de montibus, quia Scripturæ per montes tibi ministratæ sunt, per magnos prædicatores veritatis : sed noli in illis figere spem tuam. Audi quid dicat consequenter : « Levavi oculos meos in montes, unde » veniet auxilium mihi. » Quid ergo? Montes tibi dant auxilium? Non : audi sequentia : « Auxilium meum a Domino, » qui fecit cœlum et terram³. » De montibus venit auxilium, sed non a montibus. Et a quo? « A Domino qui fecit » cœlum et terram. » Erant montes alii, per quos unusquisque cum duceret navim, naufragium faceret. Emerserunt enim principes hæresum, et montes erant. Arius

¹ Psal. xxxv, 7. — ² Id. cxx, 1. — ³ Ibid. 2.

mons erat, Donatus mons erat, Maximianus modo quasi mons factus est (1). Multi in istos montes attendentes, et terram desiderantes, cum de fluctibus volunt liberari, ad saxa compulsi sunt, et naufragium in terra fecerunt. A talibus montibus non seducebatur ille qui ait : « In Domino » confido, quomodo dicitis animæ meæ : Transmigra in » montes sicut passer⁴? » Nolo sit spes mea in Ario, nolo in Donato. « Auxilium meum a Domino qui fecit cœlum » et terram. » Discite quantum præsumatis de Deo, et quantum tribuatis hominibus : quia, « Maledictus omnis » qui spem suam ponit in homine⁵. » Modestissime et humiliter sanctus apostolus Paulus zelans vere Ecclesiam, sed sponso, non sibi, et horrens illos quando voluerunt dicere : « Ego sum Pauli, ego Apollo⁶; » suam personam potius assumpsit, quam calcaret et contemneret, ut Christum glorificaret : « Numquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis⁷? » Repellit a se, sed ut mittat ad Christum. Non vult a sponsa amari pro sponso nec amicum sponsi. Amici enim sponsi Apostoli. Huic sponso et ille humilis Joannes, qui putabatur Christus, zelabat. Unde ait, « Non sum ego Christus, sed qui post me venit, major me est, cujus non sum » dignus corrigiam calceamenti solvere⁸. » Vere quia tantum se humilians, ostendit se non esse sponsum, sed amicum sponsi, et ideo ait : « Qui habet sponsam, sponsus est : amicus autem sponsi, qui stat et audit eum, gaudio » gaudet propter vocem sponsi⁹. » Et si amicus sponsi mons est, non tamen a se habet lucem mons : sed audit, et gaudio gaudet propter vocem sponsi. « Nos, inquit, de » plenitudine ejus accepimus¹⁰. » De cujus plenitudine? « Illius qui erat lumen verum, quod illuminat omnem

¹ Psal. x, 2. — ² Jerem. xvii, 5. — ³ 1 Cor. iii, 4. — ⁴ Ibid. — ⁵ Joan. 1, 20, et Marc. 1, 7. — ⁶ Joan. iii, 29. — ⁷ Ibid. 16.